

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**


**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

LXXIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)

Et postrid. Cal. h. e. hodie alia celebramus sponsalia, Joh. Feneratoris adoptati ab Oeconomio Prædicatorum & cognate hujus Oeconomi. Hac de causa Mater & Soror se excusati volunt, quod per hunc nihil scripserint.



## LXXIII.

*Gratiam & pacem à Servatore Christo.*

**P**ropediem plura coram loquemur; nunc ut moram excusem, paucis hæc humanissime mi Erasme. Haerendum enim adhuc mihi est duabus his hebdomadibus propter Heri & Ecclesiæ negotia. Velim etiam Theologorum vestrorum Censuram de Collatione, quam mittimus, hic apparere, priusquam ego discedo. Multi & varii libelli, quot jam multis non Nundinis, hoc Mercatu allati sunt, quorum bonaam partem apud vos extare non dubito: de reliquis, si licebit per otium, commentabimur. Ut autem consceleratam quorundam malitiam videoas, en quomodo Lutheranis factionum studiis distractis illudant. Authoris nomen enim est additum, ego ausim affirmare, ex Orco & Styge ~~inveni~~ hanc Logicam promanaisse. Compescat te Deus Satan. Et hoc incendium è cathedra Lutheri nobis nascitur, quod præter Filium DEI nemo restinguet. Etiam veni Jhesu. Scripti pauca quædam Dn. D. Simoni, ut tu videbaris velle, tametsi maluisse ei nihil scribendo non molestus esse. Salutant te domestici, Weislandus, Mügius. Benè in DOMINO vale, Argentorato postrid. Calend Octobr, anno 1571.

*Tuus ex animo frater*

Johannes Pappus.

## LXXIV.

**S.** Quod salvus ad tuos redieris, cum tibi tum Ecclesiæ gratulor, maximè vero, quod domi pacata omnia inveneris. Domini beneficium est, cuius virtute repressa sunt inconsiderata pernicioſaque molimina; idem donet, ut porrò frui pace domestica possitis, inque publicam ædificationem studia omnia convertere. Satis enim & plus fari controversiarum foris est, quas ex æditis hisce præfertim nundinis hinc inde libellis licuit cognoscere, quez quantos triumphos exhibent hostibus res ipsa docet. Evidem si visum est Domino, sic nos cribrari, supplicibus votis invocari à piis omnibus debet, ut hosce tam graves paroxysmos ad sanitatem ipse convertat, & impio-

impiorum gaudiis finem mœorem faciat. Pro perscripto ad nos Colloquio Doct. Jac. Andreæ & Illyrici magnam gratiam habeo, non licuit id vel mihi perlegere vel Collegis exhibere, quia transcribendum curavi, quo tuum possem remittere exemplar. Interea spero, Pappum fratrem dilectum & venerandum, adventurum, cum quo liceat de hoc ipso negotio fusè & diligenter conferre. Quæ paucis tu literis ad me datis comprehendisti, prorsus ex mea sunt sententia, & optandum sit valde, virtum pietate & doctrina præstantem flecti posse, ut bonorum acquiescat consiliis, ne Ze-  
lo inconsulto, affectare, quam cavere debeat, offensionem videatur. Medici curationem circa M. Philippi affectum exorsi sunt, præmissis purgationibus, & sperant sanari, Domino ipsorum operam benedicente, posse. Requirunt viætus rationem convenientem, quæ, ne deficit illi, pròvidebo. Butyrum mitto, tres centenarios & libras 59. cujus precium significabo tuis, cum ex Nundinis Bernensisibus, quæ in festo S. Martini habentur, id ipsum ex fratribus configuratione intellexero. Mea conjuncta laborat nonnihil, non ex podagra, sed internis doloribus, quam tuis precibus, sicut & me ipsum, unice commendo. Bene vale cum symmisti, uxore, totaque familia, saluant te reverenter Coccius & Füglinus. Basili. 10. Octobr. An. 1571.

## T. Sulcerus.

ut semper intimus frater.

LXXV.

## D. D. Marbachio.

S. Expectamus magno desiderio Dn. Pappi adventum, ex quo cum de tua valetudine, tum Ecclesiæ statu prolixè cognoscere queamus omnia. Phi-  
lippi affectum curant Medici magna fide & industria: Corpus purgarunt Ca-  
tharticis valde commodis, quæ facile tulit; Inde dentem, ex quo affectus ori-  
go, ferro candente bis per intervalla adusserunt, sed sine ipsius dolore & par-  
tium vicinarum læsione. Inde causticum quandam succinum imposuere, de-  
niique & ab exteriori parte nonnihil adhibuerunt corrosivi, sed lenioris, quæ  
ad fundamenta perveniant, solidamque sanationem, DEI auxilio, consequan-  
tur. De cocto interim ligni Quajaci ex ipsorum præscripto utitur, sed sine  
sudoribus, & superstitionis aëris vitatione, quo sit ut omnia commodè toleret,  
nec virium sentiat ullam debilitationem. Ut optima in spe sim, hanc illi  
curandi methodum præscriptamque vivendi rationem, non ad hoc tantum  
modò malum tollendum, sed totius corporis firmiorem salubritatem facturam  
esse. Eo etenim meliorem eventum præsumo, quod sanctissimi Viri, cum

Ddd

DEI